

**A** *Quo die inuocauit te.]* Clarius exprimit quod versu præcedenti obscurius protulerat, quomodo vi. Vers. 3.  
delicet nomen & eloquium suum Deus erga se magnificat. *Quo die, inquit, inuocauit te, respondisti mihi, &c. Q d.* Cùm essem in angustijs persequotionis & exilij constitutus, inuocauit te, pro fide, spe, ac fiducia mea, quam in te collocaui, & tu me secundum benignitatem tuam exaudisti, & animum meum admodum corroborasti, ne mole afflictionum pressus, conciderem: id quod fidem ac veritatem eloquij tui mirum in modum illustravit.

*Celebrabunt te Domine.]* Respicit ad id quod dixit: *Magnificasti nomen tuum. Reges terræ, inquit, celebra-* Vers. 4.  
*bunt te, cum audierint eloquia oris tui: id est, Veritatem eloquiorum tuorum in me magnifice declarata.* Exponunt aliqui de vicinis regibus, Hiram videlicet, rege Tyri, & Toi rege Hæmæth. Mihi videtur posse intelligi de regibus terræ nō cuiusuis, sed Israëlis: hoc est, de posteris ac successorib⁹ Dauidis.

*Et cantabunt in vijs Domini.]* hoc est: *Cantabunt de vijs Domini. Sic illud est Proverb. 10: רִשְׁתָּר בֵּין סָבָבָה;* Vers. 4. & 6.  
*„ id est, Bibite in vino, quod infudi. pro, Bibite de vino. Cantabunt de operibus ac studijs Do-*  
*mini, inquit. Catabunt de bonitate, fide, ac veritate Domini, quibus suis succurrere solet. Quid autē*  
*cantabunt? Subiicit: Quod magna sit gloria Domini, quod sit excelsus quidem, & tamen humilem & abieclum re-*  
*spiciat, sublimem verò & elatum de longe cognoscat. hoc est, quod clementer succurrat adflecto & humilia-*  
*to, elatum verò de longinquo cognitum despiciat & sternat. Est autem cognoscere aliquem de longin-*  
*quo, statim absq; vilo familiaritatis commercio, velut ex remotis, quis & qualis sit, cognoscere, ac*  
*cognitum aspernari. Intelligit autem Vates de se, & Saule: deq; eo reges cantaturos dicit, quod se*  
*humilem clementer aspicerit Deus, & in regni solium præter spem omnem euexerit: Saulem ve-*  
*rò, regni potentia sublimem & elatum, velut proprius aspicere dignatus, de longinquo cognitum*  
*despicerit & abiecerit.*

*Si ambulauero in medio tribulationis.]* Iā consequenter de spe ac fiducia sua canit, quid sibi de Deo in Vers. 7. & 8.  
futurum speret. Potest fieri, inquit, vt rursus incidam in tribulationes, & obnoxius siā malitiæ malo-  
rum hominum. Verū qua sum erga te fiducia, non deseres me, sed vivificabis potius, & iram ini-  
micorum meorum cohipebis, meq; potenti tua dextera seruabis. Ego quid sum? Nullæ sunt meæ  
res. Tu verò Domine perficies pro me omnia, quibus me destinasti: faciesq; illud non meo meri-  
to, sed pro tua benignitate, quæ nunquam intercidit: nec patieris, vt quæ tu ipse instituisti ac coepi-  
sti, intercidant. Loquitur de causa regni ad quod fuerat delectus. Cominendat hanc Domino, fa-  
teturq; se illi perficiendo ac moderando prorsus esse imparem: ideoq; sperare, nō defuturum Do-  
minum causæ, quam ipse & cœperit, & mirabiliter hactenus direxerit.

*Celebrabo te toto corde meo.]* Quid hic obseruandum sit, vide suprà Psal. 9. vers. 1. & Psal. 111. vers. 1. OB SER.  
*Coram potentibus psallam tibi.]* Obseruandum hic est, quod non simpliciter dicit, *Psallam tibi: sed, Co-* Vers. 1.  
*ram potentibus psallam tibi.* Habet hoc Dauid peculiare, vt se vel in medio Ecclesiæ, vel in Ecclesia ma-  
gna, vel in concilio rectorum, vel in consensu seniorum, vel corā omni populo, laudaturum Domi-  
num dicat: quale est, quod hic quoq; canit: *Coram potentibus psallam tibi.* Gaudebat ergo ea laude Dei,  
quæ vel coram multis vel coram rectis, aut coram potentibus, magnis, ac primoribus populi offer-  
retur. Faciebat enim ad illustrandum ac propagandum quoq; gloriā Dei magis, quām si sola ipsius  
conscientia teste in occulto perficeretur. Itaq; obseruandus est hic illius animus, quem non pudu-  
xit, seq; & sua omnia extenuare coram quibusvis, quo gloriā diuini nominis illustraret. Hoc enī  
omnino faciendum est ei, qui bonitatem, fidem, ac beneficentiam Domini ex animo deprædicare  
ac celebrare constituit.

*Procumbam ad templum sanctum tuum.]* Obserua, quod sanctuarium ac tabernaculum Dei vocat OB SER.  
*id est, regiam ac palatium Dei sanctum, seque ad fores illius procubiturum canit. Admonemur, quo* Vers. 2.  
*sint honoris affectu, & quām religiosa reuerentia, ea loca prosequenda, quæ diuino sunt nomini*  
*& Ecclesiæ Dei deputata.*

*Et celebrabo nomen tuum.]* Cogitemus hīc, quid sit potissimum faciendum in templo sancto Dei:  
id videlicet, quod omnis est religionis caput & finis, ad quod dirigenda sunt omnia. *Celebrabo,* in-  
*quit, nomen tuum. Esta autem nomen Domini celebrare, ea de Deo prædicare, quæ ad laudem nominis e-  
ius faciant.*

*Propter benignitatem tuam, & propter fidem tuam.]* Obserua hoc quoque loco coniunctionem beni-  
gnitatis ac fidei Dei, quæ hactenus Psalmis decem & septem, locis 23. coniunguntur. De harum  
vocum coniunctione annotauit obiter suprà Psal. 108.

*Quia magnificasti super omnia nomen tuum, & eloquium tuum.]* Consideremus hīc, quod non dicit, *Quia*  
*magnificasti nomen tuum ac salutem meam, ideo celebrabo bonitatem ac fidem tuam: sed,* *Quia magnificasti super*  
*omnia nomen tuum, & eloquium tuum.* Ergo non tām de salute sua, quām de eo lātabatur, quod nomen  
& eloquium Dei magnificatum esset, & illustratum.

*Et vide, quæ coniungat: benignitatem Dei, fidem Dei, nomen & eloquium Dei.]* Hæc concurrerunt in libe-  
ratione ac salute Dauidis. Habuit Deus rationem bonitatis ac fidei suæ, adeoq; & nominis & elo-  
quij sui. Hisce veluti respectibus tribuit Propheta, quod esset ē manu inimicorum liberatus. Ad-  
monemur, vt & nos ista in Deo consideremus, & ab illis immota fide pendeamus.

*Quo die inuocauit te.]* De eo, quod inuocanti se Deus responderit, dictum est aliquoties. Illud hoc OB SER.  
loco obseruandum est, quod dicit: *Multiplicasti in anima mea fortitudinem.* Quid est, multiplicari fortitudine Vers. 3.  
in anima, aliud, quām animam frequenter & admodū diuina consolatione in rebus tristibus, ne cō-  
cidat, erigi, & confirmari? Admonemur hīc, quomodo suos Deus in rebus aduersis ad patientiam  
malorum spiritu suo corroboret, donec tempestiuū fiat, vt prorsus liberentur. Deinde, quomodo  
id tum potissimum fiat, quando in angustijs constituti, ope in Domini ex corde inuocant: *Sic Chri-*

SS 2      Et cœ.